

itidem contrariarum, comparatione colophonem imponemus: nimirum, ut violæ juxta allia consistentes odoratiores evadunt: sic opposita juxta opposita sua collocata clariora fiunt.

EXERCITATIO LXXI.

De Tempore theses Philologico - philosophicæ.

1. **N**ihil unquam præteriit, quin fuerit præsens. Loquor de re quolibet figillatim spectata.

2. Fuit etiam præsens aliquod, antequam ullum esset præteritum. Cogita de primo creationis initio.

3. Præsens itaque est ante præteritum, intellige, naturâ suâ & absolutè, eo modo quo docetur in Metaphysica Cartesiana, rem intellectualem priùs & faciliùs percipi corporeâ; ubi non res omnes & singulæ intellectuales conferuntur cum omnibus & singulis rebus corporeis, sed genus rerum illarum cum harum rerum genere comparatur. Nempe si in ordine rerum intellectualium vel una res existat, quæ priùs & faciliùs cognoscatur omni corpore, generatim & absolutè pronun-

K k 5

ciare